



Richardus apud Germanos ex magna familia natus, & in omni genere uirtutum educatus fuit. Postea quoque operam literis dedit, & medicam eruditionem sibi comparauit. Itaque cum Treuerensis praesul fatis concessisset, in eius locum omnium consensu Archiepiscopus & Elector constitutus fuit. Eam dignitatem is magna prudentia administravit, atque Maximiliano Caesari gratissimus fuit. Postea cum Maximiliano mortuo Electores Franckoforti conuenissent de nouo Caesare constituendo, statim post Moguntinum, qui ad Carolum inclinarat, Treuericus sententiam dicere iussus fuit. Eius enim tum inter Electores ob rerum usum ma-

xima erat autoritas. Ibi Richardus Hispanum plane dissuasit, & Franciscum Gallum prudentem & finitimum principem proposuit. quod si is displiceret, superesse in Germania tres potentes familias, Saxoniam, Bauaricam, & Brandeburgicam, ex quibus Caesar merito eligi oporteret. Verum cum tertio loco